PEDILAVIUM SIVE DE NUMERO PAUPERUM QUIBUS LAVANDI SUNT PEDES...

Giovanni Battista Frescobaldi

PEDILAVIUM

SIVE

DE NUMERO PAUPERUM

QUIBUS LAVANDI SUNT PEDES

Feria V. Majoris Hebdomadæ.

EDITIO SECUNDA

Ab Authore recognita, & multipliciter adaucta.

LUCÆ, MDCCX.

Typis Peregrini Frediani.)(SUP. PERMISSU.

CAusam huic disputationi præbet Daniæ Rex, qui hoc Anno 1709. Florentiæ degens, paratos videns in Metropolitana pauperes tredecim, quibus lavandi erant pedes die Jovis Sancta, quasi admirans circustantibus ait, *Cur tredecim* ?

Quæ quidem interrogatio longè latèque sparsa multorum incessit animum, qui rem occultam, & penè ignotam animadvertentes curiosiùs ad eam investigandam sunt incensi.

Et jam varia in vulgo de hac quæstione ferri judicia, quis ignorat? an autem ea ab aliquo doctore decisa, & vulgata fuerit, mihi non constat; certè nulla typis adhuc est edita. Quæ enim habetur à Sarnello viro apprimè in sacris Ecclesiæ ritibus erudito, non tàm quæstionis resolutio est, quàm simplex, ut ipse asserit, speculatio.

Quid igitur? audacisne animi fuerit, à nullo

verſatam ingredi diſputationem ? imò officioſi fuerit multorum precibus , omnium deſiderio obtemperare .

Quid ? cum omnibus diſſerere de hac controverſia liceat , mihi non liceat ? numquid ego auditor tantum ?

Eſto igitur mea hæc de pauperum lavandorum numero , mera ac ſimplex opinio .

Et quidèm lavandos tredecim , quis in dubium revocare contendat ? Hoc docet Cęremoniale Romanum ; hoc Cæremoniale Epiſcoporum ; hoc praxis omnium ferè Eccleſiarum Cathedralium ; hoc denique plures Cæremoniarum Magiſtri ; quid plura ? Nemo eſt , qui huic aſſertioni (quod mihi conſtet) contraire audeat .

Neque obſtat praxis nonnullarum Eccleſiarum , etiam inſignium , qualis eſt Laurentiana Florentina , & Regum Chriſtianiſſimorum , de quibus Faber concione prima in Cœna Domini *Hac die* , inquit , *Galliarum Reges duodecim mendicis pedes abluunt* , *&* *lautum epulum præbent* ; His enim , & aliis exemplis prævalet authoritas Cæremonialium prædictorum , prævalet & praxis omnium ferè Eccleſiarum Cathedralium (pręterquamquod ſingularia exempla ſingularem ſolent habere cauſam , & rationem propriam .)

Denique valet hìc axioma juris , *Exempla non reſtringunt regulam* , quam certè dant nobis Cæremonialia ab Eccleſia approbata . Valet & aliud , *Exemplis non eſt judicandum* , *ſed legibus* ; maximè quando legibus conſtat , quòd veritas eſt contra exemplum , ſubdit Barboſ. in indice trac. varior. v. Exemplum .

At

At nunquid non urget praxis Summorum Pontificum, quos pedes lavare solitos quotannis pauperibus duodecim, testes sunt omni exceptione majores Cornel. à Lapid., & Marcantius in Rationali Evangelico?

Utique non urget, vel quia non asseritur, sed supponitur huic pauperum numero lavari pedes à Summis Pontificibus; vel quia de lotione pedum alia die ab illis facta loquuntur D.D. præcitati, & deducitur ex exemplis relatis à Fabro Conc. cit., vel demùm, quia hoc juri repugnat communi.

Enimverò etiam à Summo Pontifice in Cœna Domini lavandos pedes pauperibus tredecim, liquet ex Cæremoniali Romano, ad cujus formam pauperum pedes ab eo lavari, quis vocet in dubium? Incredibile quippe est aliud ab eo præcipi, aliud fieri, & observari.

Sed, & huic pauperum numero re vera lavari pedes Romæ a Summmo Hjerarca testatur oculatissimus Romanorum rituum inspector, & compilator Hjeron. Lunadorus in sua Aula.

At nulla fortè difficultas in numero, sed tota in ratione numeri consistit; ad hanc quippè collimare videtur prælibati Regis interrogatio. *Cur tredecim*?

Et quidèm rationabiliter; pro qua expedienda quæstione, multi multa dicunt.

Plures allegant exemplum Gregorii, de quo Bollandus in ejus vita sic ex Joanne Diacono *Alio quoque tempore idem Gregorius juxta consuetudinem suam præcepit Sacellario, ut duodecim Peregrinos ad*

 prand-

prandium invitaret , qui pergens jussa complevit, eosque ad mensam paritèr ordinavit . Dum autem simul discumberent , intuens Papa tredecim numeravit , & accersito Sacellario , cur contra jussionem suam tertiumdecimum invitare præsumpserit, inquisivit ; ille stupefactus , convivantes Peregrinos curiosius numeravit , & duodecim solos inveniens, veluti securus respondit : Crede mihi , Venerabilis Pater , non sunt nisi duodecim , sicut ipse jussisti ; ergo cum convictus sæpius duodecim identidem numeraret , ac tertiumdecimum , quem solus Papa videre poterat , non videret ; animadvertens spiritualis Pater Gregorius virum proprius discumbentem vultus sæpe convertere , & nunc adolescentem , nunc verò vetulum veneranda quadam canitie simulare , finito convivio duodecim quidem abire permisit ; tertium verò decimum manu suscipiens in cubiculum suum induxit , vehementèr adjurans , ut ei se , nomenque suum simplicitèr prodere dignaretur . Qui respondens dixit , & cur interrogas de nomine meo , quod est mirabile ? Verumtamen scito memoria recognoscens , quia ego sum naufragus ille , qui quondam veni ad te , quando scribebas in Cella Monasterii tui , cui dedisti duodecim numismata , & argenteam scutellam , quam tibi miserat cum infusis leguminibus B. Silvia Mater tua . Et hoc pro certo tibi sit cognitum , quia ab eo die , quo mihi hæc hilari animo tribuisti , destinavit te Dominus fieri Præpositum S. suæ Ecclesiæ , pro qua , & proprium Sanguinem fudit . Quæ audiens Gregorius dixit , & tu quomodo nosti , quod tunc me Dominus præesse S. SuæEcclesiæ destinavit ? At ille inquit , quoniam ego Angelus ejus sum , & tunc ab eo ad tuum inquirendum propositum de-

sti-

ſtinatus. Hæc Bollandus, & cum eo concordat Petrus de Natalibus, Ribadineira, & omnes, qui acta hujus Sancti literis conſignarunt.

Ex qua narratione deducunt non pauci, ab hoc Summo Pontifice derivatam conſuetudinem lavandi pedes pauperibus tredecim. At quam multas habet difficultates hæc opinio?

Et primò incertum, qua die Gregorius invitaverit pauperes duodecim; aliam autem fuiſſe ab ea, qua Chriſtus cum ſuis Diſcipulis dicitur cœnaſſe, arguo ex verbo illo *Juxta conſuetudinem ſuam*, quod nonnulli interpretantur *Quotidie*.

Secundò; hìc non dicitur pauperibus illis pedes laviſſe, imò ex contextu verborum deducitur contrarium; quare incongrua eſt hujuſmodi narratio, ad probandum tredecim lavandos pedes ex Gregorii inſtituto.

Tertiò; per accidens decimustertius comparuit in Convivio prædicto; accidens autem non poteſt dare formam, ſive regulam perpetuo Eccleſiæ inſtituto; enimverò Eccleſia in condendis legibus non nititur his revelationibus privatis.

Denique ſatis conſtat ex ipſa hiſtoria, tertium decimum non apparuiſſe ad implendum numerum lavandorum (ſeu potius diſcumbentium) in convivio dominico, ſed in præmium præſtantis eleemoſinæ naufrago mercatori impenſæ, unde à Gregorio tantùm viſus, & ei ſoli cognitus fuit.

Alii affirmant in numero decimotertio comprehendi Chriſtum, qui cum duodecim Cœnæ accubuit.

Suaderi poteſt hæc opinio, quia Chriſtus in-

mandato ait . *Et vos alter alterius debetis lavare pedes* ; Videtur enim ex hoc , & sibi Christum lavari pedes post discipulos voluisse.

Suffragatur huic opinioni Ordo Romanus , in quo hæc habentur verba . *Episcopus ponat vestimenta sua , & præcinctus linteo præparet se ad lavandos pedes discipulorum , & primum incipiente Pontifice mutuatim pedes lavent .*

Et rituale antiquum monasterii Sancti Pauli almæ urbis, in quo legitur *domnus Abbas si præsens fuerit ex una parte , Prior ex altera lavent pedes , tergant , & osculentur , quod cum fuerit impletum , veniat domnus Abbas in locum suum , & duo fratres lavent illi pedes* similia habet ordinarium Rhemense .

At neque hæc mihi arridet opinio ; primò , quia neque secundum literam , neque secundum mysterium conveniens fuit , ut Christo lavarentur pedes .

Non quidem secundum literam , nè humilitatis exemplum , quod discipulis præbuit , exigendo ab ipsis , expungeret . Equidem non humilitatis exemplum , sed Charitatis tantùm in hac mutua lotione dedisset . Illud autem propriè , & præcipuè nobis in lotione dedisse testatur Patrum turba innumera ; unus pro cunctis audiatur Chrisostomus . *Pedes discipulorum lavit Christus , ut nobis exemplum proponeret humilitatis* , in psal. 39.

Sed neque secundum mysterium conveniens fuit lavari Christum ; Spiritualitèr enim Christus lavare debuit , lavari non potuit . At lotus fuit in Jordane . Ita , sed ut santificaret aquas ; hìc autem non

aqua,

aqua , ſed perſonæ erant ſanctificandæ , ad dignè Chriſti Corpus ſuſcipiendum.

Secundò Chriſtum non fuiſſe comprehenſum in hoc numero decimotertio , patet , quia non ait *Nos debemus alter alterius lavare pedes* , ſed *vos debetis ;* neque ait vos mutuò debetis , ſed *debetis alter alterius* , hoc eſt alter alteri , non ſibi debet pedes lavare , qui me imitari deſiderat , unde Origenes ex Syriaco legit *; Et vos debetis alii aliorum pedes lavare .*

Tertiò , in ſignificatione quoque minimè comprehendi Chriſtum in hoc numero probatur ; ſi enim in hoc numero tredecim lavandorum comprehenderetur , & ſignificaretur Chriſtus , jam non tredecim , ſed duodecim pauperum à Superiore eſſent pedes lavandi , tum lavandus poſt pauperes eſſet Superior, qui in ipſo comprehendi ſupponitur numero, quod certè non habet Cæremoniale Romanum ; an autem hoc (ut ponitur) alia habeant ritualia , incertum ; certè de numero nihil conſtat , ſed etſi quis hujuſmodi habeatur ritus , ad hanc minimè quæſtionem pertinet ; quæſtio enim noſtra de ritu Romano eſt , ſuper quo Regis Dani urget interrogatio .

Denique Chriſtum laviſſe pedes omnium diſcipulorum , etiam Iudæ (Origene , Cipriano , & Hilario exceptis , qui negant Judæ pedes lotos) fatentur omnes ; diſcipulos vel unum laviſſe pedes Chriſto , hoc prorsùs inauditum .

At Chriſti pedes lavit Maria in domo Simonis leproſi , obiicient nonnulli ; hanc autem lotionem repræſentari in mandato hodierno , liquet ex ordine

dine Romano , ubi legitur Antiphona de hac lotione . Ita Sarnellus Epist. 13. cui certè (salva reverentia tanto viro debita) acquiescere non possum , quia Maria in domo Simonis leprosi Christi caput ungentem lego , pedes lavantem non lego . Joan. 12. Matt. 26. , & Marc. 14.

Neque urget lavisse pedes lachrymis Lucæ 7. hoc enim accidit in domo Simonis Pharisæi , non leprosi , & biennio ante Christi Passionem , & mortem , non ante sex dies Paschæ , in quo non video quomodo cohærere possint verba ordinis inter se , & sententia Sarnellii cum antiphona ordinis , nisi unus idemque dicatur Simon Pharisæus , & Simon leprosus , & unum prandium , sive una cœna fiat ex duabus , quæ narrantur , altera Lucæ 7. , altera Matthæi 26. , & Marci 14. , quod mihi videtur incredibile .

Et quidèm (quicquid nonnulli dicant , quos suppresso nomine citat Cornelius) duos fuisse Simones , Pharisæum , & leprosum testantur August. de consensu Evangel. lib. 2. cap. 29. , Beda in 7. Lucæ , Euthim. in eumd. locum , & Greci ferè omnes , qui plures Magdalenas fuisse astruunt ; Idem tenet Joann. Suarius in 26. Matth. , Ferro decad. 4. disc. 5 , & constat primò ex cognominis diversitate ; alter enim Pharisæus , alter leprosus in Scriptura nominatur . Secundò ex diversitate habitationis , sive incolatus , quia Pharisæus habitavit in Naim , leprosus in Bethania ; ille in Galilea , iste in Judæa . Tertiò ex diversa hominum dispositione ; murmuravit enim ille propter accessum mulieris ad Christum , iste murmuran-

ran-

rantibus cæteris, nullum fecit verbum; malè audit ille apud PP. omnes, hic verò apud omnes benè audit.

Duas verò fuiſſe cœnas, ſive unum prandium, & alteram cœnam, patet primò; quia prima refectio ponitur ab omnibus in ſecundo Chriſti prædicationis anno, ſecunda ponitur in quarto, & ultimo; illa ante Lazari reſurrectionem, hæc poſt dies aliquot; in illa mulier lavit Chriſti pedes lacrimis, & capillis terſit Lucæ 7., in iſta fracto alabaſtro Caput pretioſo unguento linivit, Matth. 26., & Marci 14., ibi ſcandalizatus eſt Phariſæus, hìc diſcipuli. Denique nemo eſt, qui dicat, unam fuiſſe cœnam, quæ narratur à Luca, & quæ à Matthæo, & Marco. Unus Sarnellus unam cum altera videtur confundere, dum dicit in Pedilavio majoris hebdomadæ repræſentari Mariam Magdalenam ungentem Chriſti pedes ante ſex dies Paſchæ, & hoc ex ordine Romano, qui apertè loquitur de prima cœna, ſeu veriùs prandio à Luca deſcripto, quamvis dictam cœnam, ſive prandium in domo Simonis leproſi factam fuiſſe dicat, quod literæ adverſatur Lucæ cap. 7., undè propter hoc, & quia Magdalenæ lotio nullam habet convenientiam cum Chriſti mandato, fortè ſublata eſt ejuſdem Ordinis antiphona ab hodierno officio in Miſſali Romano recognito, eique aliæ antiphonæ ſuffectæ.

Quod verò dicitur ab eodem Sarnello ex Ruperto, bis diverſo modo lavari pedes conſueviſſe olim in Eccleſia; ſemel in Sabbato ante Dominicam Palmarum à Canonicis in perſona Eccleſiæ, iterum Fe-

ria v. in cœna Domini à Prælato in persona Christi, an aliquo in loco, aliquo in monasterio sic erat in usu? Certè Romæ non sic. Nam Gulielmus in suo rationali sic habet. *In hoc Sabbato intendere consuevit Dominus Papa pauperibus Christi, dando eleemosinam, & mandatum celebrando, tum quia in cœna Domini propter officii magnitudinem hoc facere non poterat, tum quia sicut dicit Joannes, ante sex dies Paschæ venit Jesus in Bethaniam, & factum est convivium in domo Mariæ, & Martæ, ubi fuerat Lazarus, quem Dominus suscitaverat.*

Non igitur Canonici in persona Ecclesiæ, sed Prælatus in persona Christi etiam in hoc Sabbato Romæ pedes pauperibus lavare solebat; & sic primum corruit Sarnellii fundamentum â Ruperto deductum, nimirum lotos olim pedes Christi in persona pauperum à Canonicis, licèt enim hoc aliquo in loco fieri potuerit, ut dicit idem Rupertus, non tamen Romæ, de cujus ritu nunc disputatur.

Rursum non in feria v. cœnæ Domini repræsentabatur lotio pedum facta à Magdalena in Sabbato præcedenti, sed in Sabbato præcedenti ad illam feriam repræsentabatur lotio pedum facta à Christo in illa quinta feria, & hoc Romæ; undè infertur, omninò inverisimile esse utramque lotionem repræsentari in dictæ feriæ unica lotione, eo quia Romanæ Ecclesiæ non suppeteret tempus ad unam, & alteram lotionem perficendam.

Denique incongruè nimis uno, eodemque ministro Christus agens, & patiens in lotione pedum repræsentaretur, si vera esset Sarnelli sententia, seu mavis speculatio. Pa-

Patet igitur in numero pauperum tredecim, quibus lavantur pedes Feria v. prædicta, Christum minimè comprehendi.

Alii demum tenent Apostolorum Collegio addendum Matthiam, alii Paulum. Mirum autem quomodo Cœnæ Christi interesse potuerint, qui post ejus mortem in Apostolos fuere electi?

Equidèm Matthias minimè adiunctus fuit Apostolorum Collegio, sed accensus, sive suffectus; quare aut hic, aut Judas in cujus locum suffectus fuit Matthias, excludendus. Matthiam autem, quàm Judam potiùs excludendum, suadeor; primò quia verè Christus lavit pedes Judæ, non Matthiæ. Secundò, præcipuum humilitatis actum, quod præcipuè in hoc ministerio exhibere intendit Christus, ostendit in Judæ lotione. Tertiò hic Grecorum sensus, qui pauperem statuunt supplentem vices Judæ, eique primas deferunt. Rituale Grec: cui titulus Euchologium. Denique nos non personarum qualitatem, sed numerum, quibus Christus pedes lavit in lavipedio hodierno repræsentamus. Nec si Judas huic numero accenseatur, ullus ei defertur honor, sed Christo qui eum lavit; non enim repræsentamus Judam lotum à Christo, sed Christum pedes lavantem Judæ, alioqui non Christi, sed Judæ hæc esset commemoratio. Denique non repugnat Christum lavisse pedes Judæ? Minus repugnat idem à Prælato in paupere, referente personam Judæ, repræsentari; hoc enim propter illud magis repugnare deberet, *propter quod enim unumquodque tale, & illud magis*.

Paulus verò quid est cur Apostolorum Collegio

in

in hodierno ministerio aggregari debeat? Quid illi cum lavipedio! At numquam illum à consórtio Petri separat Ecclesia, dicet aliquis. Equidèm, repono, sed in commemoratione alterutrius Apostoli, non in mysterio hodierno; verè enim juncti sunt hi duo Apostoli in prædicatione, & in martyrio, sed non in Cœna Christi, & in lotione pedum.

Quarè si ob hanc causam Ecclesia lavaret pedes pauperibus tredecim, aliam, ab ea, lotionem, quam fecit Christus in ultima Cœna, repręsentaret; tum numerum certum designans fideles deciperet, aut à mysterio deficeret, si alius numerus à Christo fuisset in eorum lotione adhibitus.

Addunt nonnulli in hoc officio repręsentari non discipulorum, sed Collegii Apostolici lotionem; quod quidèm Collegium, cum Paulo, tredecim modò constare capitibus, nemo dubitaverit.

At facilè refellitur hæc opinio; primò, quia non repræsentatur in hodierno pedilavio Apostolorum Collegium, quale nunc est (nunc enim est nullum) sed quale erat, quando Christus discipulorum pedes lavit, at quando Christus discipulorum pedes lavit, Paulus certè non erat in eorum numero.

Deindè supponit hæc opinio duodecim Apostoorum Collegium à Christo institutum, aliquandò fuisse adauctum, quod est falsum; numquam enim hic numerus auctus, vel diminutus fuit; Juda enim è vivis sublato ad implendum duodenarium numerum statim Matthias suffectus fuit, patet igitur, hunc numerum ad formandum Apostolorum Collegium fuisse à Christo præfinitum, & invariabilitèr statutum.

Con-

Confirmatur, quia si auctus, vel imminutus fuisset hic numerus, perirent innumeræ hujus numeri, quæ in veteri, & quæ in novo Testamento habentur figuræ, tum optima à Joanne delineata, dissolveretur illa Ecclesiæ forma, atque constructio, in qua duodecim portas, terno per quatuor mundi plagas ordine distributas, patère vidit.

Mitto quia hic numerus plurima continet mysteria, quæ congerit Lauretus in append. de allegor. numer., & Theatrum v. Apostolus.

Præterea tot sunt prima Ecclesiæ fundamenta, quot sunt Apostoli, quos Christus elegit, atque ordinavit. Christus autem nonnisi duodecim elegit, & ordinavit; elegisse autem duodecim tantùm constat ex Lucæ 6., ubi dicitur, *Et elegit ex eis duodecim, quos Apostolos nominavit*.

Confirmatur, quia Paulus non dicitur electus à Deo, sed segregatus, adRom. 1., & Act. loc. cit., & 1. ad Corinth. 1. vocatus dicitur Apostolus Jesu Christi, non à Jesu Christo; licèt enim vocatus fuerit à Jesu Christo, non tamen vocatus fuit Apostolus, sicut cæteri, *Quos Apostolos nominavit*, Lucæ 6., sic enim vocatus, & nominatus fuit ab Apostolis, à quibus & ordinatum fuisse legimus. Act. cap. 9., & 13., quod notat Bellarm. lib. 4. cap. 8. de not. Eccl., & probat Turrian. lib. 1. cap. 20. de Ord. Hierar. Cornel. in Act. Apost. 13. Tirrin. ibidem, & Ferro decad. 5. disc. 3. ex Leone magno, Chrisost., & aliis.

Ad hæc si aggregari deberet Paulus Apostolorum Collegio, etiam Barnabas eidem numero debe-

ret aggregari, adeoque non ſolum tredecim, ſed & quatuordecim eſſet Apoſtolorum Collegium.

Conſtat enim ex Act. loc. cit., quòd Paulus, & Barnabas eodem modo, eodemque tempore ſegregati fuere à cæteris diſcipulis ad munus Apoſtolicum obeundum per illa verba *Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos*, & paulò poſt *& ipſi quidèm miſſi à Spiritu Sancto abierunt* quarè ambo ab Eccleſia Apoſtolorum titulo inſigniti inveniuntur in Miſſali, & in Breviario Romano.

Nec valet peculiari ratione Petri Collegæ, & Romæ Patrono hunc deferri honorem in tertio pauperum decimo, quia non in obſequium lavandorum, ſed ad imitandam, & repræſentandam Chriſti lavantis humilitatem, hac die lavipedium inſtitutum conſtat, tum ex conſenſu DD. expreſſo, tum ex tenore mandati à Chriſto traditi, à quo pedilavii ritus emanat, ſic enim habet, *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*.

Denique nec Paulum, nec Barnabam ad Apoſtolorum Collegium pertinere, ſed utrumque ab eo fuiſſe collegio diſcretum, eſt ſententia D. Hieron. in Catal. ſcript., quem ſequuntur Bellarm. loc. cit. Lorin. in Act. cap. 13. v. 2. Salmeron. tom 4. p. 1. tract. 28. Haje prolog. in novum Teſtamentum ſect. 6. cap. 2., & alii, qui hos duos Apoſtolos extra numerum, & extra ordinem duodecim ponunt, qui enim extra numerum, & extra ordinem ſunt, utique ad illum, numerum, & ordinem non pertinent.

Idem probatur; quia ſi in illud Collegium fuiſ-

fuissent hi duo Apostoli asciti, necessariò debuissent, cum cæteris communibus Eccclesiæ comitiis interesse; at nullis comitiis hos duos Apostolos cum cæteris interfuisse, probatur; primò ex simbolo, quod duodecim constat sententiis, quas singulas à singulis Apostolis collatas tradit August. serm. 115. de temp., Doctor Seraphicus 3. dist. 25. a. 1. 9. 1., & probat Baron. An. D. 44. n. 17. Illud autem post Pauli Conversionem compositum testantur Cornel., Tirinus, Ricciolius, & idem Baron. qui sententiam refellit contrariam.

Secundo probatur ex divisione orbis; divisum autem orbem in duodecim partes per sortem, quis ignorat? Tum Paulo, & Barnabæ nullam sortem datam, sed totum orbem illis cessisse liquet; quia illis liberum fuit prædicare ubique, & de facto Paulus non incidentèr, sed permanentèr, & ex professo in sorte Petri prædicavit, quod nullis ex duodecim legitur fuisse concessum; ita prorsus Hajè, & Salmeron locis cit.

Postremò non benè sonat apud me isthæc propositio, *Apostolorum Collegium tredecim constat Christi discipulis*, nam præterquamquòd apud nullum Patrem, apud nullum Doctorem eam invenio; ea admissa tota ex dictis subverteretur scriptura.

At verè, inquies, Paulus est Apostolus. Equidèm, sed non de Collegio Apostolorum, hoc est habet quidèm dignitatem, & authoritatem Apostolicam, sed non locum in Apostolorum Collegio; undè in festo illius canitur, qui meruit thronum duodecimum possidere, non dicitur possidere thronum decimum tertium.

 Ra-

Ratio igitur vera, aut ſaltem vero valdè mihi ſimilis eſt, lavari pedes tredecim pauperibus, quia totidem lavit pedes Chriſtus ſuis diſcipulis.

Nititur hæc ſententia duplici fundamento ſatis firmo, undè vel ſine authoritate ſuſtineri eam poſſe exiſtimamus.

Primum fundamentum eſt hanc lotionem fieri ad imitationem illius, quam in ultima Cœna Chriſtus peregit.

Quod ut clariùs, & certiùs innoteſcat, obſervetur duplici ex capite lavari conſueviſſe pauperum pedes in Eccleſia; primò, in memoriam, ſecundò in exercitium; in memoriam ſcilicet lotionis Chriſti; in exercitium humilitatis, & charitatis.

Ex cap. primo lavari ſolent pedes in his circumſtantiis: Primò, feria v. majoris hebdomadæ, Secundò, ex Eccleſiæ inſtituto, Tertiò, à viris tantùm, Quartò, à Superioribus loci, Quinto, perſonis tredecim.

Prima tantùm probatur (reliquæ enim omnes patent per ſe) hæc functio nomen accepit mandati, nimirùm quia Chriſtus lotis diſcipulorum pedibus, ait eis, *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita, & vos fatiatis* Joan. 13. Igitur, vel ex nomine habetur lotionem pedum hac die fieri in Eccleſia ad exemplum illius, quam fecit Chriſtus in ultima Cœna, undè humilitatis, & obedientiæ obſequium appellat Ambros. in lib. de Miſt. cap. 6.

Confirmatur, quia hæc eſt omnium PP. ſententia. Videatur ſuper hoc argumento Concil. Toletanum 17. Can.. Item Ordo Rom., & Rupert. de div. Officiis lib. 5. cap. 21.. Ad rem Macrius in Hjerol.

rol. , *Mandatum dicitur , quia Chriſtus quemadmodum fecerat , ita à ſuis fidelibus fieri mandavit* , V. Mandatum . Preſſius Gavant. , *dicitur mandatum quia mandavit Chriſtus pedum lotionem* , p. 4. tit. 88. Plura Petrus Cellenſis ſerm. 3. in Cœna Dom.

Ex cap. ſecundo lavari ſolent pedes pauperibus , nulla ex prædictis ſervata circumſtantia .

Et primò lavantur pedes quocunque anni tempore ; ſecundò ex propria cujuſque devotione ; tertiò , à quibuſcunque etiam fœminis ; quartò , quibuſcunque, maximè autem peregrinis ; ultimò quotcunque , plerumque autem duodecim .

Exemplis hæc omnia probantur . Et primò pedes lavabat quotidiè pauperibus Gregorius præmemoratus ex Villiega ; Thomas Canthuarienſis Epiſcopus , teſte Heriberto apud Surium tom. 6. in ejus vita ; quinta quaque die Andræas Epiſcopus Feſulanus , idem Surius ſub die 6. Jan. item Carolus Mediolanenſis . Refert Faber Conc. citata ; ſecundò ex devotione pedes lavarunt idem Carolus , & proceres Civitatis ad exemplum ſui Paſtoris in Jubilæo anni 1575.

Ex fœminis hunc ritum coluere Theodoſij Majoris , & Maximj Cæſarum coniuges , ex lib. 2. c. 2. Eccl. hiſt. & ex Sulpit. in vit. Martini . Item Eliſabeth uxor Lantgravii Ducis Haſſiæ ; Heduvigis Duciſſa Poloniæ , Brigitta , & aliæ , de quibus Gretſerus in Pedilavio ; ipſum viduarum proprium fuiſſe exercitium habetur ex 1. ad Timoth. 5.

Peregrinis pedes lavare conſueviſſe Clementem VIII. refert Bellarmin. in ſua Chronologia , quem

ſequutos Cardinales plurimos, & alios Urbis Optimates, teſtatur Faber loc. cit. Idem habetur ex pluribus Scripturæ locis, ut Gen. 18., & 1. Reg. 25. hoc certè pium humilitatis obſequium impenſum Chriſto à Magdalena, negatum à Phariſæo, teſtatur Lucas cap. 7.; de eodem Rupertus c. 22., & Conc. Aquiſgran. cap. 141. duodecim verò lotos pedes dixi ſupra. Plura de hac duplici lotione Salmeron tom. 9. tract. 8. §. Ut autem.

Patet igitur differentia, quæ eſt inter lotionem, quæ fit in Hebdomada Sancta, & eam quæ fit cæteris anni temporibus, ad quam referri debet duplex illa lotio, de qua Rupertus loc. cit, & Sernellus in Epiſtola allegata.

Quòd ſi ea, quæ fit in Hebdomada Sancta, refertur ad eam, quæ à Chriſto pridie ſuæ Paſſionis fuit exhibita, & celebratur in ejus memoriam, & ad illius exemplum, conſequens eſt, quòd Chriſtus tredecim laverit pedes diſcipulis, quia tredecim lavantur pedes pauperibus; & quòd tredecim laventur pedes pauperibus, quia tredecim lavit pedes Chriſtus ſuis diſcipulis; ſi enim in lotione imitamur Chriſtum, & in numero lavandorum ipſum imitari debemus: Quòd ſi Chriſtus duodecim laviſſet pedes diſcipulis, non tantùm illius exemplum non ſequeremur, ſed, & ab eo in re notabili diſcederemus.

Addeſis; quod Eccleſia numerum mandans ſervari præciſum, numerum à Chriſto ſervatum in lotione repræſentari voluiſſe, neceſſe eſt, aliàs certum non deſignaſſet numerum, ſed ipſum cujuſque reliquiſset arbitrio. Conſtat igitur, & in numero la-

lavan-

vandorum Ecclesiam Christi voluisse imitari exemplum, alioqui frustra hunc numerum præfinisset.

Dices, de mandato Christi esse, ut laventur aliorum pedes, non tamen tali lavandorum numero, nec de hoc Ecclesiam fuisse sollicitam; liquet, quia nulla de hoc numero apud antiquos habetur mentio, nunc etiam non idem ab omnibus servatur lavandorum numerus. Ita obiici audio à nonnullis.

℞. Mos Christi fuit rerum præcipere substantiam, circumstantias verò definiendas suæ reliquit Ecclesiæ (ut sit differentia inter legem Christi, & Moysis) patet in institutione Sacramentorum, in Sacrificio Missæ, in observantia Festorum, & in quinque Ecclesiæ præceptis. Quare numerum lavandorum non esse de Christi mandato, concedimus, non esse de mandato Ecclesiæ, refragamur; tredecim enim præcisè pauperibus lavandos pedes, clamant omnia Ceremonialia, Apostolica authoritate recognita, & typis edita. Cur autem de hoc numero nulla inveniatur mentio apud antiquos, ratio esse potest, quia multiplex jam fuit lavandi ritus, multiplex opinio, quæ sublata est per Ceremonialia prædicta, ritus tamen varius nonnihil perseverat, quia non ad faciendum duntaxat mandatum, sed & in exercitium humilitatis, & charitatis, ut dixi, in multis Ecclesiis hic ritus adhibetur; hinc est, quod Cathedrales ferè omnes, quæ mandatum facere tenentur, pauperes lavant tredecim, aliæ, quæ hanc non habent obligationem, suum singulæ servant ritum.

Alterum fundamentum est Ecclesiæ traditio, quæ fundatur in illa regula Augustini certissima; *Quod*

universa tenet Ecclesia , nec in Conciliis institutum , sed semper retentum est , nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Ita lib. 4. cap. 24. contra Donatist. cui omnes Scholastici uno ore consentire videntur.

Ex qua regula habetur duo requiri , ut credatur ab Apostolis aliquod institutum , unum est universalitas , alterum immemorabile . Utrumque autem in nostro casu invenitur ; nam ubique gentium in hac hebdomada pedes abluuntur , ex Ecclesię præscripto pauperibus tredecim ; hujus verò ritus nullum invenitur initium .

Illum autem esse antiquissimum constat ex historiis ; nam tredecim pedes lavare consuevit Thomas Canthuariensis , qui supra ; Goffridus Altissiodoriensis de quo Martene de antiqua Ecclesiæ disciplina cap. 18. n. 21. , ergo tenendum est hunc ritum ab Apostolis descendisse .

Quod si ab Apostolis institutus fuit usus lavandi pedes tredecim , tredecim necesse est Christum lavisse pedes discipulis ; non enim nisi à Christo potuere hunc numerum accipere Apostoli ; alioqui non ad exemplum Christi , ut diximus ; hoc humilitatis exercitium fuisset in Ecclesia institutum .

Plura huic argumento possent obiici , & primò , lotio pedum pro hebdomada majore sancita fuit in Conc. Toletano preallegato anno Christi 654. in quo habentur hæc verba : *Proindè hac Sancta Synodus decernit , atque instituit , ut deinceps non alitèr per totius Hyspaniæ , & Galliarum Ecclesias eadem solemnitas celebretur , nisi pedes unusquisque Pontificum , seu sacer-*

ſacerdotum , ſecundum hoc Chriſti Sacroſanctum exemplum , ſuorum lavare ſtudeat pedes ſubditorum.

Secundò manaſſe hanc conſuetudinem à Mediolanenſi Eccleſia in alias omnes probat ex Auguſtino Cornelius in citatum locum Joannis .

Tertiò Romæ tempore Ambroſii nullum fuiſſe uſum lavandi pedes pauperibus conſtat ex ipſius Ambroſii lib. 3. c. 1. de Sacram. ſic enim habet hic Sanctus Doctor . *Non ignoramus , quòd Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat , cujus typum in omnibus ſequimur ; & formam , hanc tamen conſuetudinem non habet , ut pedes lavet .*

Quartò Alfonſus Villiegas in Vita Gregorii clarè affirmat , uſum lavandi pedes in Cæna Domini inſtitutum à Gregorio .

Denique hæc recentium opinio , ferè communis .

Ad primum reſpondeo ex eodem Conc. Tolet. habetur non tam inſtitutum , quàm reſtitutum uſum lavandi pedes in Cæna Domini ; Queritur enim Concilium Can. allegato , quòd Sacerdotes in aliquibus Eccleſiis in Cæna Domini partim deſidia , partim conſuetudine , pedes fratrum non lavent , quarè longe ante ipſum Concilium neceſſe eſt pauperum pedes lavari conſueviſſe in Eccleſia , adeòque argumentum ex eo deductum , vel nihil probat , vel probat contrarium .

Ad Secundum Reſp. Idem Cornelius conſuetudinem lavandi pedes ad Chriſti exemplum à Petro Apoſtolorum Coriphæo initium ſumpſiſſe probat ex eodem Ambroſio loco eodem .

Tertiò fit satis dicendo, Ambrosium loqui eo loco de lotione pedum, quæ olim præmittebatur baptismo. Quoniam autem putarunt nonnulli hujusmodi ablutionem sufficere ad salutem, nec opus esse alio Baptismo, hinc illa multis in locis (& fortè etiam Romæ) intermissa fuit. Equidèm in Conc. Eliberino can. 48. fuit prorsus interdicta. Ecclesia tamen Mediolanensis in sua consuetudine permansit. Videatur Corn. loc. sæpiuscit., & Vasquez de Baptismo q. 166. c. 5. Item Martene de antiq. Ecclesiæ rit. p. 1. a. 13. & 15. n. 8. Ferro dec. 4. disc. 20., Macrius in Hjerol. v. capitilavium.

Villegæ testimonium nihil probat, quia est singulare; & si quid probaret, dumtaxat probaret à Gregorio institutum lavandi usum in hebdomada majori, non autem pauperibus tredecim; sic enim habet hic scriptor: *Ordinò similmente la benedizione delle Ceneri il primo giorno di Quaresima, e la lavanda de' piedi, che si usa il Giovedì Santo.*

Communis opinio usum lavandi pedes pauperibus tredecim ex Gregorii memorato convivio descendisse, facillimè exploditur; primo ex dictis supra; secundò, vel quęstio est de lotione pedum simplicitèr, vel de lotione pauperum tredecim; si de prima, falsitatis arguitur ista opinio ex Origene, Cypriano, Ambrosio, Augustino, & aliis, qui longè ante Gregorium integros tractatus de hac pedum lotione edidère. Sed, & ex ipso Gregorii facto convincitur, quia si tertius decimus duodecim Divino additus Consilio fuit, ergo ante hanc apparitionem duodecim pauperibus lavari pedes solebant, & per

con.

consequens pedum lotio ante ipsum Gregorium erat in usu.

Si quęstio est de lotione pauperum tredecim, decimus ille tertius vel fuit missus a Deo ad implendum numerum eorum, quos lavit Christus in ultima Cæna, vel non; si primum habeo intentum, hæc enim mea conclusio, ex Christi scilicet exemplo manasse consuetudinem lavandi pedes tredecim, & sic non ex revelatione facta Gregorio, sed ex Christi instituto ritum lavandi pedes huic numero pauperum tunc fuisse introductum.

Si secundum; irrationabilitèr mutasset Gregorius ritum antiquum, utque reprępsentaret numerum suo accumbentium Convivio, destruxisset numerum accumbentium convivio Dominico. Hoc autem concedi non potest; ergo, & à Gregorii revelatione lavandi pedes tredecim ritum institutum, non debet concedi.

Manet igitur fundamentum primum, Christi exemplo lavari pedes pauperibus tredecim; manet & secundum hunc ritum ex Ecclesiæ traditione descendere. Superest major difficultas, quis fuerit ille tertius decimus additus Apostolorum numero duodecimo.

Cui expediendæ utendum coniectura, cum enim nulla habeatur scriptura, nullus scriptor, qui hoc memoriæ prodiderit, divinare potius licet, quàm ratione aliqua convincenti probare.

Variis igitur excogitatis modis nil mihi probabilius, aut certè verosimilius, quàm decimum illum tertium, cui Christus pedes lavit, herum, sive Patrem-

tremfamilias domus illius fuisse, in qua Christus cœnavit, & Pascha cum Discipulis suis celebravit, constat enim ex tribus primis Evangelistis hanc Cœnam in aliena domo Christum comedisse. Dominum autem domus discipulum Christi unum ex septuaginta duobus fuisse, constans est omnium opinio, videatur Menoch., Tirin., Cornel., & Barrad. Idem deducitur ex verbis illis *Dicetis Patrifamilias domus, dicit tibi Magister*, Lucæ 22. Si enim Christus erat Magister domini domus, dominus illius domus erat ejus discipulus. Equidèm nec Christus, tanta authoritate, locum ab eo sibi dari postulasset, nec ille Christo tanta promptitudine ipsum concessisset.

Ex Joanne autem habetur Christum discipulis suis in ultima Cœna pedes lavisse, cur igitur non & isti? An quia non erat ex duodecim? At erat dominus domus *Dicite Domino domus* Marc. 14. Unde non minori honore tractandus erat, quàm cæteri discipuli.

Confirmatur hæc opinio; quia quis prohibet credere hunc discipulum mensæ Domini accubuisse, & cum cæteris Apostolis Christi Corpus suscepisse?

Enimverò Christi mos fuit in aliena domo comedentis, ipsius domus dominum socium sibi in mensa statuere, quare ingresso domum Pharisæi legitur Lucæ 7., quòd Pharisæus manducavit cum illo. Cœnante verò in domo Mariæ, & Marthæ Lazarus earum frater *unus erat ex discumbentibus cum illo* Joan. 12. Igitur & in ultima Cœna credibile valdè est discipulum domus dominum mensæ Christi accubuisse.

Idem

Idem probatur ex ſcriptura, quia domino domus hæc fieri verba Chriſtus mandavit, *Apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis*, hebraicè autem legitur *Tecum facio Paſcha*, & eſt ſenſus proprius illius præpoſitionis *Apud* penes latinos, de qua præpoſitione author Theſauri ſic habet *apud, mutuam loci, & perſonæ coniunctionem ſignificat, ut cum dicimus, cœno apud amicum*, quid luculentius ad rem noſtram? Hinc Lucæ 11. legimus. *Rogavit quidam Phariſæus Jeſum, ut pranderet apud ſe* ideſt *ſecum* juxta gloſſam Janſenii, Ludulphi, Hugonis, & aliorum. Quòd ſi Chriſtus ſe Paſcha cum diſcipulo facturum pollicitus fuit, utique promiſſum implevit, & per conſequens diſcipulus, qui cœnaculum Chriſto locavit, ejus menſę accubuit, & paſchalem cænam cum eo manducavit.

Confirmatur quia idem Chriſtus Marci 14. ait *& ipſe monſtrabit vobis Cœnaculum grande ſtratum*. Cœnaculum autem ſtratum, eſt Cœnaculum menſa inſtructum, ornatum, & ad manducandum paratum. Ergo ibi, ubi cœnavit Chriſtus, antequam diſcipulos mitteret, ſibi dominus domu sjam menſam paraveverat, ibi igitur cum eo Paſcha celebravit. Denique quo alio in loco illud facere, & comedere potuit Chriſti diſcipulus?

Videatur Ferro decad. 4. ſect. 7., item ~~Danadas~~, Bauadas & Silveira, qui ex Euthimio docent etiam B. Virginem cum cæteris mulieribus, quæ Chriſto miniſtrabant, in eadem domo, licèt non in eadem menſa agnum Paſchalem comediſſe, & auguſtiſſimam Euchariſtiam per Petrum miſſam ſuſcepiſſe. Etſi enim mini-

minimè tenebantur mulieres , ſicut & pueri agnum Paſchalem manducare , poterant tamen ſi vellent , Bonfer. in Exod. 12. v. 4.

Enimverò *per domos , & familias unuſquiſque* agnum mactare , & comedere tenebatur Exodi loco cit. Chriſtus autem non habebat domum , neque familiam . Non domum , ipſe enim de ſe ait *vulpes foveas habent , & volucres Cœli nidos , Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet* Lucæ 9. undè Bonav. Lucæ 22. *domum ab alio quærit , quia non habebat* ; ſed neque familiam habuit , Familia enim quatuor perſonarum generibus conſtat , ſcilicet viro , uxore , filiis , & ſervis , ita Toſtat. in locum Exodi præcitatum 9. 5. At Chriſtus non habuit uxorem , neque filios , neque ſervos , opus igitur fuit , ut ad Patremfamilias accederet , ſub quo , vel cujus nomine agnum mactaret , & cum ſuis diſcipulis ritè comederet . Salian. Anno m. 2544. necnon Tirinus , Menochius , Æſtius , Bellarm. , Toſtatus , & alii , qui dicunt Agni immolationem munus proprium fuiſſe Patrisfamilias , quo ſine nemini hoc munus obire licebat . Chriſtus autem in his , quæ ad legem pertinent , ſemper eidem legi parere , ac conformari voluit . Rationi igitur valdè conſonum eſt Chriſtum diſcipuli domum elegiſſe , non ſolùm quia domum non habebat , ſed etiam quia propriè , & in eo ſenſu , quo ſcriptura loquitur Exodi loco cit. , & interpretatur Toſtatus , Paterfamilias non erat , talem verò fuiſſe diſcipulum apud quem Paſcha celebravit conſtat ex Lucæ 22. Jure igitur ad ejus domum Chriſtus cum ſuis diſcipulis declinavit . Accedit quia nul-

lum

lum fortè habebat diſcipulus ille , cum quo Paſcha comederet , ſi enim filios, & nepotes habuiſſet, non tàm facilè dimiſſis omnibus (ut infra dicemus) Paulum , & Barnabam poſtea ſequutus fuiſſet, Act. 12., & 15., adde quia in ea domo, utpotè nemini obnoxia , nedum Chriſtus cum ſuis diſcipulis , ſed & tota Eccleſia fuit poſtmodum congregata Act. 1. , & 12. Porrò ſoli nemini fuiſſe licitum Paſcha manducare, liquet ex ſcriptura , quæ jubet aſſumere vicinum ſi minor fuerit numerus ut ſufficiat ad veſcendum agnum ; quare ad minus decem ,ad ſummum viginti fuiſſe neceſſarios tradit Joſeph , & ex eo Bonferr. loco cit. ; Chriſti autem diſcipulum paraſſe Cœnaculum grande ſtratum advenis , qui ex tota Galilea , & Judæa confluebant, putat Barrad. in concordia ; Chriſto verò , & diſcipulis ejus ipſum ſtraviſſe , eò quod ſive ex divina revelatione , ſive ex corporali Chriſti prævia collocutione , noverat illum apud ſe cum diſcipulis Paſcha facturum , teſtatur Euthimius in 26. Matth.

Igitur nedum ex coniectura , ſed & ratione deducta ex ſcriptura , ſatis clarè oſtenditur diſcipulum domus dominum , in qua Chriſtus Paſcha cum diſcipulis celebravit , ejus commenſalem fuiſſe , & cum eo agnum Paſchalem comediſſe , adeòque diſcipulos tredecim Chriſti menſæ aſſediſſe .

At fortè obſtat , quia Matth. 26. dicitur *diſcumbebat cum duodecim diſcipulis* , & Marci 14. *unus ex duodecim , qui intingit mecum manum in Catino* , & Lucæ 22. *diſcubuit & duodecim Apoſtoli cum eo* .

Reſponderi poteſt in his omnibus locis recenſe-

ri quidem numerum discipulorum duodecimum, sed non excludi decimum tertium. Potuit igitur, & hic Christi interesse convivio, quamvis inter discumbentes minimè numeretur, utiq.quia non erat de Apostolorum Collegio. Ea quippe cura fuit omnibus sacri Evangelii scriptoribus illa potissimum scripto tradere, & memoriæ mandare, quæ nos scire oportebat; nos autem scire quidèm oportebat Apostolos omnes Christi Cœnæ accubuisse propter traditam illis potestatem conficiendi, & dispensandi Corpus Dominicum (hoc enim ad Ecclesiæ institutionem, & gubernationem maximè pertinebat) An autem, & alii cum eo in eadem Cœna consedissent, nobis nosse minimè erat necessarium, imò alios (præter Apostolos) subticere omninò necessarium fuit; quod evidentissima ratione probatur; verba enim illa (*hoc facite in meam Commemorationem* (in quibus summa totius potestatis discipulis à Christo traditę consistit) referri ad duodecim illos, de quibus in textu dicitur *discumbebant cum eo* liquet ex Evangelicæ historiæ contextu. Quamobrem summo studio omnes paritèr Evangelistas discipulorum numerum Cœnę Christi assidentium iniisse, tenendum est; si enim hunc numerum minimè præfinissent, vel si alios præter illos commensales commmemorassent, incertum fuisset, quibus præcisè viris ordinandi, ac consecrandi provinciam demandasset; Non igitur ut cæteros à mensa Domini excluderent, Apostolorum numerum sacri iniere Chronistæ, sed ut hos solos discipulos à Christo ordinatos, utque ab eo Eucharistię dispensandæ, vel etiam conficiendæ illis munus commissum, nobis liquidò innotesce-

tescerct, illum numerum definiere. Ita Silveira lib. 7. cap. 7. 9. 27. in Matth. qui hanc assignat rationem cur Evangelistæ nullam de B. Mariæ ad Christi Cœnam interventu, mentionem habeant.

Quod si quis instet dicens si non fuit ordinatus discipulus Cœnaculi Dominus, ergo nec pastus Christi Corpore, nec antea lotus, quia lotio ad Eucharistiæ susceptionem, Eucharistiæ susceptio ad sacerdotii initiationem ordinabatur.

℞. perperam deduci ex non ordinatione discipuli, ejus non communicationem, sive Eucharistiæ susceptionem, potuit enim ille Christi Corpore impertiri, & tamen non ordinari, quot enim sacram sinaxim suscipiunt, nec ordinati, nec ordinandi! equidèm commune hoc est omnibus laïcis communicantibus.

Sed etsi minimè communicasset discipulus mensæ dominus, minimè valeret hoc Argumentum. Non fuit Christi Corpore pastus? ergo nec antea lotus. Loti enim fuere discipuli non solum propter Eucharistiam postmodum suscipiendam, sed etiam propter humilitatis exemplum, ut ostensum est supra, & quia tunc temporis Romanorum more, ut tradit Baronius, convivarum pedes lavari solebant, undè gravis illa in Pharisæum irrisorem Christi Domini pro Maria Magdalena expostulatio, *Aquam pedibus meis non dedisti: hac autem non cessavit rigare pedes meos* Lucæ 7. quod, & longe ante in usu fuisse apud hebræos constat Jud. 19. ubi de viro peregrinante cum uxore sua legitur *Postquam laverunt pedes suos, recepit eos senex in convivium*. Videatur Fagund. lib. 1. cap. 2. de 3. pręcepto Eccl.

Qua-

Quarè ſic potiùs eſſet argumentandum : diſcipulus dominus Cœnaculi, Menſæ Domini accubuit ? ergo loti ei fuerunt pedes . Aliàs ei commune convivarum officium cæteris exhibitum , Chriſtus ſine causa vel etiam immeritò denegaſſet . Ne autem hoc cogamur aſſerere (nefas enim eſt hoc) quis prohibet dicere illum , & lotum à Chriſto cum aliis diſcipulis , & de illius corpore in convivio Dominico cum cœteris diſcipulis participaſſe !

Nec tamen hoc ultimum omninò affirmare audemus , cum idem ex Scriptura non ſatis ſit compertum , ſed dicimus potuiſſe illum Chriſti Corpori , & Sanguini communicare , quomodo communicaſſe B. Virginem (& fortè alias mulieres ejus commenſales) nuper diximus ex Barradio , & Silveira , & confirmat Ven. ſoror Maria de Agreida in ſuo opere .

Cæterum illum Chriſti menſæ cum cæteris Apoſtolis adſtitiſſe , eique ut cæteris lotos pedes à Chriſto aſſerere non dubitamus , quia illud ſatis liquet ex Scriptura , cui alii textus ejuſdem Scripturæ , ut vidimus , minimè refragantur (imò eorum alter qui eſt *unus ex duodecim qui intingit mecum manum in catino* , valdè noſtræ favet opinioni , quia ſi duodecim tantum Chriſti menſæ aſſediſſent , non dixiſſet Dominus (*unus ex duodecim*) ſed (*unus ex Vobis*) dicens autem *unus ex duodecim* ſignificavit alium eſſe , in quem facilè illi proditionis ſcelus prænunciatum contuliſſent) Hoc verò ex antiqua traditione Eccleſiæ , & quia ad Chriſti imitationem tredecim in cœna Domini pauperibus lavandos pedes quotannis jubet Eccleſia, comprobatur .

Quis

Quis autem ille fuerit discipulus Christi commensalis duplex est opinio ; alii dicunt fuisse Priscum , de quo sic Petrus de Natalibus in Catalogo. *Priscus discipulus fuit unus ex antiquis Christi discipulis. Hic enim ille paterfamilias fuisse asseritur , in cujus domo Christus Pascha sibi parari fecit , & in ejus Cœnaculo cum discipulis discubuit , & eorum pedes lavit.*

Alii tenent fuisse Marcum ; non conveniunt tamen , quis iste fuerit Marcus ; nàm Teophilactus , Eutimius , ac Dorotheus dicunt unum esse Marcum , alii duos ; hoc est Evangelistam Petri discipulum , de quo idem Petrus in sua Canonica *Salutat vos Marcus filius meus* , & illum , qui Act. 12. appellatur Joannes , & fuit consobrinus Barnabæ , sic Salmeron , Baronius , Bellarm: , alii recentiores . Et ita tenendum patet , quia de primo Marco agitur in Martyrologio sub die 25. Aprilis his verbis *Alexandriæ natalis B. Marci Evangelistæ , hic fuit discipulus , & interpres Apostoli Petri* ? de altero fit die 27. Septemb. , sic *Bibli in Phœnicia S. Joannis Episcopi , qui & Marcus à B. Luca nominatur* . Duo igitur fuerunt Marci , hunc autem (non primum) Christi contubernalem , vel etiam commensalem fuisse autumo , quia Act. 12. habetur , quòd Petrus Angeli auxilio de carcere eductus , *Venit ad domum Mariæ matris Joannis , qui cognominatus est Marcus , ubi multi erant congregati orantes* . Hanc autem domum eamdem esse , in qua Christus cœnavit , & Spiritum Sanctum in discipulos misit , testatur Baron. , Bellarmin. , Tirin. , Corn. , & est opinio ferè communis , contra Calvium in Proprinomio , qui cum Natalio putat dominum Cœna-

 culi

culi, in quo Christus Pascha cum discipulis manducavit, fuisse Priscum. Videatur Fagund. loco citato, qui dicit, *Communior opinio tenet, fuisse domum Joannis Marci de quo Act.* 5. quam probat Canis lib. 3. Marialis cap. 1., & sequitur Henriq. lib. 8. de Eucharist. cap. 2. n. 5. eamdem habet Baron., qui dicit valdè dubium reddi, quòd vir ad quem missi fuere duo discipuli, fuerit Joannes Evangelista, quia hic fuit unus ex duobus discipulis missis, ut testis est Lucas cap. 22., Cosnel. & Tirin. idem confirmant ex communi traditione.

Scio alias esse sententias valdè probabiles; at quid mihi? sufficit rem de facto probabilitèr assertam; nedum probabili, sed, & probabiliori, Doctorum probasse Sententia, nam ad confutandam conclusionem; sivè doctrinam probabilem, tunc, ne dum probabilibus, sed & probabilioribus, imò etiam certis uti *argumentis oportet*.

Corollarii loco observandum ex antiquis, neque Amalarium, qui floruit sæculo nono, neque Joannem Mycrologum, qui creditur vixisse sæculo undecimo, neque Honorium, qui scripsit sæculo elapso duodecimo, ne verbum quidem facere de hac lotione, licèt minutissimè de omni ritu Ecclesiastico differuerint. Rhabanus verò Amalarii Synchronus in cap. de Cœna Domini, cum dixisset *Hac die Salvator surgens à Cœna pedes discipulorum lavit propter humilitatis formam, quam docendam venerat, quod & ipse consequentèr exposuit, quod etiam dicebat* (notentur verba quæ sequuntur) *potissimum, ut facto doceret, quod observare discipulos præmonet*. Hæc subdit

Hinc

Hinc est, quòd eodem die Altaria Templi, parietes, & pavimenta lavantur, vasaque purificantur, quæ sunt Domino consecrata, & nil prorsus dicit de lotionis pedum ritu. Quid igitur? Numquid non erat in usu hic ritus? Numquid adhuc in Ecclesiam non fuerat invectus, aut recens hoc est institutum? Absit, quia egregiè de eo disputat Rupertus Abbas, qui scripsit de Divinis officiis circa annum centesimum undecimum supra millesimum.

Præterea ipsius ritus preces, & forma describi in libro, cui titulus *Ordo Romanus*, quem octavo sæculo scriptum existimant Michael Hyttorpius, & Jodocus Coccius. Eumdem autem esse ritum, quem Romana nunc servat Ecclesia, patet ex eodem Libro, qui habetur Biblioth SS. PP. tom. 13.

Denique hoc pro certo tenendum, nil in Rituali, aut Cæremoniali novum; multa quidèm correcta, & ad meliorem formam redacta sunt; nil tamen inventum, aut substantialitèr mutatum; constat ex Clementis Papæ VIII. Constitutionibus, quæ Pontificali Romano, & ipsi Episcoporum Cæremoniali solent præmitti.

Sed & recentes, quàm parcè, quàm moderatè loquuntur de hoc ritu? Gavantus inter cæremoniarum, & rituum Ecclesiasticorum interpretes facilè princeps altum silentium habet de numero pauperum lavandorum. Piscara, & alii dicunt quidem lavandos tredecim, sed nullam rationem afferunt. Hos inter Bauldrius, quasi de hoc numero non satis certus non benè definit, lavandos saltem tredecim, quasi plures lavare ex Ecclesiæ præscripto sit

licitum. Quid plura? Ne unum quidèm scriptorem inveniri, qui hanc faciat quæstionem, videlicet, *Cur tredecim pauperibus laventur pedes in Ecclesia, nec pluribus, nec paucioribus*, testatur prælibatus Abbas Sarnellus Epist. 1.

Et initio quidem perplexos fuisse Patres super hoc ritu, quia irrepserat error, quòd hæc lotio, Baptismum præcedens, ad salutem sufficeret, diximus supra; & constat ex eodem August. Epist. 119. ad Januar. cap. 18., qui notat ad Baptismi distinctionem nonnullos ad tertium Octavarum Paschalium diem, alios ad ipsam Octavam hunc ritum transtulisse.

Sed & ex Origene habetur, quia frequens hic fuit usus in Ecclesia, postea exolevit; sic enim habet de hac lotione loquens. *Qui mos quidèm erat, sed nunc non fit nisi admodum rarissimè* Hom. in Joann. explicans illa verba *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*.

Deinde dubitasse de numero lavandorum, eo quòd non sit expressus in Evangelio, patet ex varia PP. forma ab ipsis tradita, quæ adhuc persevèrat in multis Ecclesiis, ubi pedes lavantur duodecim.

Nunc autem nihil dubitari de numero, quia præfinitur in duplici Cæremoniali Romano, & Episcoporum, tum liquet ex ipsis Cæremoniarum Magistris, & ex praxi omnium ferè Ecclesiarum Cathedralium.

Restat igitur unica tantùm quæstio de ratione hujus numeri, quam definiendam putavi juxta superiùs tradita; statuto enim quòd in mandato Christi

tre-

tredecim lavandi ſint pedes pauperibus, quid aliud inferre licet, niſi tredecim fuiſſe diſcipulos, quibus pedes lavit, qui hunc ritum inſtituit, & in ſui exemplum fieri mandavit Chriſtus.

Nihilominus quia nuperam quæſtionem, nuperam neceſſe eſt ſequi reſolutionem (quales etiam ſunt eæ omnes, quæ ore tenus undique circumferuntur, maximè quæ Paulum aggregat Apoſtolorum Collegio) nec me latet in rebus novis à labendi periculo neminem vacare, quicquid ſcripſimus S. M. E. cenſuræ, ac correctioni ſubiicimus, ad quam ſpectat unicè de hujuſmodi controverſiis judicare, neque enim quàm opinari, & quàm quod magis veriſimile viſum fuit, in toto hoc opuſculo aſſerere nos voluiſſe, iterum profitemur.

Cæterùm ſi cui hæc reſolutio minùs arriſerit, videat an in expiandorum numero cenſendus ſit Chriſtus in menſa cum ſuis diſcipulis accumbens, dummodo non Chriſtus ipſe, ſed Eccleſia à Prælato expiante referatur, quamvis & hoc difficultate non careat, quia non in exemplum Chriſti, ſed in obſequium hæc lotio exhiberetur, quod refragatur Chriſti mandato, tum quia in ſui exemplum, Chriſtus hanc lotionem fieri mandavit, tùm quia aliis, non ſibi eam fieri juſſit, tùm demum, quia nec ipſe Chriſtus, ut ſuis diſcipulis hunc deferret honorem, ſed ut eximium nobis humilitatis exemplum, quod ſequi jubemur, præberet, eorum pedes lavit. Accedit quia deberet ſpecialis ſtatui locus ei, qui Chriſti perſonam gerit, tùm ei ſpecialis honor impertiri, ſi in lavandorum obſequium hæc fieret lotio; alias diffi-

difficultates ſupra delibavi .

Hic autem mihi ſubiungere liceat , non de pedum lotione , ſed de numero eorum , quibus lavari pedes debent , eſſe quæſtionem ; in lotione ſimplex poteſt eſſe imitatio , & obſequium ; in numero neceſſe eſt eſſe repræſentationem , & myſterium . Hoc in gratiam eorum dixerim , qui diſtinguunt inter imitationem , & repræſentationem , & primum quidèm admittunt in hodierno lavipedio , non verò ſecundum .

FINIS.